PA
6768
.S7
1872

Steffen, Curtius

LIBRARY OF CONGRESS
SMITHSONIAN COLLECTION

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class PA 6768
Book S7
1872

DE

ACTORVM IN FABVLIS TERENTIANIS

NVMERO ET DISTRIBVTIONE

COMMENTATIO

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

VNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

CVRTIVS STEFFEN

DRESDENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXII

PA6768
.S7
1872

Ante paucos annos nihil, quod sciam, de actorum in fabulis Terentianis numero disputatum erat, nisi quae Teuffelius in hist. litt. Rom. vol. I p. 21, 3 et Frid. Fritzschius in libello qui inscribitur 'Quatuor leges scenicae Graecorum poeseos', edito Lipsiae a. MDCCCLVIII, p. 28—30 protulerunt. Anno demum MDCCCLXX in publicum prodiit Friderici Schmidtii disputatio Erlangae edita 'Ueber die Zahl der Schauspieler bei Plautus und Terenz', quae quamvis diligenter elaborata multum tamen dubitationis reliquit. Eodem vero anno F. Ritschelius in editione Trinummi altera p. LV pauca quidem, sed gravissima de hac re dixit: qui quidem non sola probabilitate nisus est, id quod Schmidtius fecit, sed fundamentum aliquod iacere studuit e veterum librorum testimoniis depromptum.

Caput I.

Primo loco inquirendum esse apparet, quae veterum scriptorum testimonia, vel si minus ea sufficiant, quae probabilitatis argumenta in promptu sint, e quibus colligamus etiam in comoedia latina numerum actorum ad certum aliquem modum redactum fuisse, ita ut singuli actores binas interdum vel adeo ternas partes susciperent. Hoc enim satis constat de tragoediis graecis deque Aristophanis comoediis[1]), quae quidem quin ut plurimum a tribus tantum actoribus actae sint, non est dubitandum. Similis vero numeri actorum condicio num etiam in latinis fabulis docendis fuerit, veterum scriptorum nullus nobis tradit. Sed iam videamus de locis quos Schmidtius inde a p. 3 protulit, qui quidem omnes iam a Teuffelio allati erant.

---

[1]) Cf. C. Beerius 'Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes' (ed. Lipsiae a. 1844), G. Hermannus in Annal. Vindob. vol. LX p. 51 sqq., Frid. Fritzschius 'Quatuor leges' etc. p. 16—28.

Praeceptum notissimum est Horatii de arte poet. v. 192: 'nec quarta loqui persona laboret.' Quod quamquam ad tragoediam referendum esse Schmidtius vidit, tamen aliquo modo etiam ad comoediam pertinere profitetur, quippe quae, quod ad res scaenicas attineat, artissime cum tragoedia coniuncta fuerit. Sed quid tandem hoc loco efficitur? Non tot actores, quot nostros poetas, poetas latinos in singulas fabularum partes introduxisse in aperto est. Sed et Plautus et Terentius saepius quattuor, nonnumquam quinque personas in scaena loquentes induxerunt. Quare Horatii illud dictum cum à Graecis poetis sumptum sit ac praecipue a tragicis, nihil ad hanc rem novi eo adfertur. Immo testimonium habes apud Diomedem, ex quo apparet non solum comoediam, sed etiam tragoediam latinam illum numerum ternarium excessisse. Ille enim l. III p. 490 sq. 'in Graeco' inquit 'dramate fere tres personae solae agunt ideoque Horatius ait ne quarta loqui persona laboret, quia quarta semper muta. at latini scriptores complures personas in fabulas introduxerunt, ut speciosiores frequentia facerent'. Quibus statim addo eiusdem verba p. 491, 22 posita: 'diverbia sunt partes comoediarum in quibus diversorum personae versantur. personae autem diverbiorum aut duae aut tres aut raro quattuor esse debent, ultra augere numerum non licet.' Quae praecepta sane id non probant, quod inde Schmidtius p. 5 sq. colligit. Nam de actorum per totas fabulas numero neque apud Horatium neque apud Diomedem agitur, sed de nulla alia re nisi de numero actorum qui ad singulas fabularum partes agendas poetis adhibendi sint. Atque hic quidem numerus non sine causa praecipitur ut ad modum quendam redigatur. Quid enim, quod ad pulchritudinem fabularum Horatius illo praecepto respicit? Simplicitatem actionis manifesto commendat suae civitatis poetis, quam in fabulis graecis observatam repperit, neque ideo commendat, quod minore tantum actorum numero opus sit, sed quia magis perspicuas fabulas fieri sensit ternis tantum actoribus in scaenam introductis. Qua in re si immensa illa theatrorum antiquorum spatia reputaveris, ad summam simplicitatem fabulae actionem poetae effingendam fuisse facile intelleges. Neque ab hac re alienum est, quod in Plauti et Terentii fabulis, quamquam saepe quattuor aut quinque personae in scaena adsunt[2]), sermones tamen ita poetae distri-

---

[2]) Locos collegerunt Fritzschius l. s. s. p. 30 et Schmidtius p. 4 adn.

buere solent ut, dum duae vel tres personae per aliquod tempus inter se colloquuntur, reliquae taceant. Sic, ut unum e multis exemplis afferam, in Eunucho inde a v. 771 inter se sermonem faciunt Thraso, Gnatho, Sanga, neque ullum verbum Thais aut Chremes intericiunt. Tum Thais et Chremes tacentibus reliquis verba faciunt v. 786—790. Sequitur Thaidis et Thrasonis colloquium usque ad v. 796. Tum Thaide aliquantulum recedente sermo incipitur Chremetis ad militem progressi et ipsius militis Gnathonisque usque ad v. 809. Denique postquam paucissima locuta est Thais v. 810, et ipsa et Chremes abeunt ac colloquium exorditur inter Thrasonem, Gnathonem, Sangam habitum. Atque hanc quidem scaenam a Terentio ad summam simplicitatem adactam sicine dispositurus fuisse credas nostrae aetatis poetas? Quos pro certo habuerim propositurus fuisse alium alius verba excipientem promiscueque inter se voces litigantium confusas. Quae cum ita sint, praecepta illa a graecis poetis hausta ac magis ad simplicitatem fabularum quam ad actorum numerum spectantia missa facio.

Multo maioris momenti est locus Euanthii de trag. et com. p. LV ed. West., ubi haec leguntur: 'Comoedia fere vetus, ut ipsa quoque olim tragoedia, simplex carmen, quemadmodum iam diximus, fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros cum tibicine concinebat. sed primo una persona substituta est cantoribus, quae respondens alternis choro locupletavit variavitque rem musicam. tum altera, tum tertia, et ad postremum crescente numero per auctores diversos personae, pallae, cothurni, socci et ceteri ornatus atque insignia scaenicorum reperta, et ad hoc unicuique suus habitus: et ad ultimum, qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent, distributa et divisa quinquepartito tota est fabula.' Sed etiam hunc locum magis ad graecam comoediam pertinere quam ad latinam in aperto est. Nam illa quae Euanthius de comoedia et tragoedia e simplici carmine orta, quae de substituta una persona numeroque crescente, quae de personis, cothurnis, soccis dicit, manifestum est ad fabulas graecas spectare. Nihilominus accuratius de hoc loco disputandum erit. Nam quamquam eo non hoc efficitur, ut etiam Romanos ad plures personas agendas minorem actorum numerum adhibuisse colligamus, tamen cum comoedia latina ad imaginem novae comoediae Graecorum expressa sit, hoc prius demonstrandum

est, num in illis fabulis graecis agendis mos ille antiquus, quo histrionum numerus certam normam non excedebat, servatus fuerit. Quo demonstrato illud saltem apparebit, potuisse Romanos cum ipsis fabulis etiam morem illum in suam scaenam una traducere.

In rebus scaenicis quam severe Graeci mores antiquitus traditos servaverint, satis constat. Quamquam enim fieri non potuit quin ei magis magisque amplificarentur, tamen non prorsus alii fiebant, sed sensim numerus actorum ita crescebat, ut primum chori coryphaeus aliquid narraret, tum ei una adderetur persona quacum colloqueretur, donec tres efficerentur actores. Atque totidem histrionibus Aristophanem usum esse demonstraverunt, ut supra dixi, Beerius, G. Hermannus, Fritzschius. Sed cum in indole comoediae hoc positum esset, ut plures personae in scaenam prodirent quam in tragoedia, trium actorum numerus non semper poterat sufficere. Quare comici ad rem ne a tragicis quidem alienam refugiebant, cum praeter legitimum actorum numerum parachoregemate uterentur, h. e. actore qui paucula tantum recitaret. Apparet hoc ex Pollucis Onomastico IV, 110: ὁπότε μὲν ἀντὶ τετάρτου ὑποκριτοῦ δέοι τινὰ τῶν χορευτῶν εἰπεῖν ἐν ᾠδῇ, παρασκήνιον καλεῖται τὸ πρᾶγμα· εἰ δὲ τέταρτος ὑποκριτής τι παραφθέγξαιτο, τοῦτο παραχορήγημα ὀνομάζεται. Quem locum cum alii tum C. F. Hermannus 'de distributione person. inter histr. in fab. Graecis' p. 40 et 65 sic intellexit, ut παραχορήγημα secundarium quoddam munus choragi esse vellet. His parachoregematis saepius — id quod in rerum natura positum est — comici graeci usi sunt. Sed inde ab eo tempore, quo chorus in comoedia graeca deficere coepit, quamvis multis parachoregematis ad fabulam agendam adhibitis tamen ne sic quidem numerus actorum ternarius satis esse potuit. Quare quid probabilius est, quam coryphaei personam in comoedia substitutam ac quartum actorem factum esse eumque legitimum? Hoc recte perspexisse videtur Fritzschius p. 29. Sed in eo errat, ni fallor, quod dicit quinti actoris non nisi parachoregema in comoedia nova fuisse. Cum enim argumenta fabularum magis magisque versari in actionibus multis nodis implicitis coepissent, eum actorem, cuius parachoregema fuerat, legitimum additum esse nonne valde est verisimile? Neque e sola coniectura hoc mihi sumere videor. Quid enim ultima illa Euanthii sententia sibi vult: 'et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum ac quintarum actores essent, distributa

et divisa quinquepartito tota est fabula'? Nonne manifestum est hoc dicere Euanthium: eos qui fabulam docerent actoribus de tota fabula eas, quae illis agendae essent, partes distribuisse? Cum vero Aristophanes tribus usus sit, Euanthium autem de quinque actoribus dicere appareat, quid reliquum est nisi ut mediae et novae comoediae quinque attribuamus? Etenim quominus illam in quinque partes distributionem fabulae ad actus referamus, structura sententiae grammatica prohibet. Illud autem etiam in comoedia nova et media fieri potuisse, ut sextus actor, cui paucula agenda essent, pro parachoregemate introduceretur, mihi quidem satis probabile videtur. Verum de reliquis videamus. Aptissime enim cum hac re congruit, quod Schmidtius p. 21—37 docuit ad Plauti fabulas omnes (praeter Rudentem et Poenulum) docendas non plus quam quinos actores opus fuisse. Atque Plautus quidem cum illam, qua Terentius in Andria Eunucho Adelphis usus est, contaminationem ad suas fabulas componendas non ita saepe adhibuerit, quod autem ad universam compositionem attinet, exemplaria graeca secutus esse videatur, etiam hac re firmatur nostra de quinario in nova comoedia actorum numero sententia; quo accedit quod etiam Hecyra Terentii et Hautontimorumenos a quinis actoribus agi poterant. Denique quod ad numerum actorum omnino in posterioribus comoediis graecis ad certum modum redactum attinet, apponere libet O. Muelleri in hist. litt. gr. II p. 54 haec verba: 'Was das Personal anlangt, so zeigen die Alten hierbei den historischen Sinn, der in einer eigenen Verbindung von Anhänglichkeit an die einmal gegebenen Formen mit lebhaftem Bestreben nach weiterer Entwicklung besteht. Der alte Typus wird nie ohne Noth weggeworfen, sondern durch Erweiterungen, die gewissermassen schon in ihm liegen, zur Aufnahme grösserer Schöpfungskraft fähig gemacht.' Sic igitur Graeci ad numerum actorum quinarium pervenerunt; ex quo tamen nihil aliud ad nostram quaestionem colligere poterimus, nisi potuisse Romanos cum ipsis fabulis hunc quoque morem Graecorum in suam scaenam traducere[3]).

---

[3]) Ceterum prorsus ab hac re alienum est, quod Seneca regulam ternarii histrionum numeri in fabulis suis severe observavit, id quod Weilius demonstravit in Annalibus qui inscribuntur 'Revue archéologique' I p. 21—35; neque plus huc confert Martialis locus VI, 6:

Comoedi tres sunt, sed amat tua Paulla, Lupercè,
Quattuor: et κωφὸν Paulla πρόσωπον amat —:

Sequitur, ut duo argumenta Schmidtii reiciam p. 8—10 proposita. Ille enim ex ipsis Plauti et Terentii fabulis apparere dicit singulos actores binas interdum partes suscepisse, et id quidem luculenter apparere, si nostrae aetatis fabulas cum illis contulerimus. Atque verum est permultum discriminis intercedere inter Plauti Menaechmos et Shakespearii fabulam 'Comedy of errors' inscriptam, item inter Amphitruonem Plauti et Molierii. Neque negari potest in Plauti Terentiique fabulis interdum aegre nos ferre, quod poeta personas, quae alia aliam non conveniunt, non in scaena inter se colloquentes fecerit. Sic non iniuria Schmidtius monuit, quam pulchram praeclaramque in Sticho Plautus scaenam instituere potuisset, si Philumenam et Pamphilam cum maritis reducibus convenientes finxisset. Talia non posse aliter explicari censet, nisi ut propter definitum illum et ad certum modum redactum actorum numerum poetas in componendis fabulis coactos fuisse ad eximias scaenas omittendas putemus. At quotquot loci sunt, ubi aliquid in compositione desideremus — et multi quidem sunt —, nihil illis demonstratur. Primum enim poetas latinos vertisse constat exemplaria graeca. Ac quamquam concedendum est non numquam eos etiam aliter res agendas instituisse, in universum tamen certissimum est compositionem graecarum fabularum ab eis servatam esse. Tum vero scaenae sunt, ubi poeta re aliter instituta etiam plus ad animos commovendos conferre potuerit, nec vero, etiamsi ad normam quandam definitus fuit numerus actorum, ea norma ullo modo impeditus fuerit. Quid enim Terentium prohibuit, quominus in Adelphis Demeam maxime iratum v. 786 in ipsum filium vehementer invehentem faceret adiuvante fortasse Clitiphonem temulento Syro? Praeclara sane talis evadere scaena poterat, nec ullo modo numero actorum impeditus erat poeta: neque enim Syri nec Demeae nec Micionis actor. qui paullo post in scaenam prodit, Ctesiphonis partes suscipere poterat. Etiam huius rei non nulla exempla proferre licet. Quae cum ita sint, nullo modo numeri actorum ad modum quendam redacti documento illud esse potest, quod interdum poetae opportunitatem egregiae scaenae componendae omiserunt. Immo hic quoque tenendum est poetas veteres fabularum actionem ad summam simplicitatem conformasse:

---

utrumque enim ad posteriora tempora pertinet, quibus Romani magis magisque regulas Graecorum scaenicas observasse videntur.

quare minime mirandum est eos in ultimis scaenis non omnes aut plerasque personas produxisse, quae est nostrorum poetarum consuetudo. Atque ipse Schmidtius cum numerum actorum quam parcissimum ex ipsis fabulis eruere studuisset, eo pervenit, ut modo quinque, modo sex, modo septem, modo octo fuisse diceret. Quodsi Terentius in fabulis contaminatis maiore actorum numero usus est, quidni, cum octo ei in promptu essent actores eique bene instituti, in reliquis quoque fabulis eis uti potuerit? Vnde sua sponte intellegitur e sola illa Schmidtii ratione, qua in una quaque fabula quam paucissimos histriones statui iubet, certi quidquam aut probabile non demonstrari.

Denique Schmidtius p. 10 testimonium adfert e Poenuli prologo v. 125 et 127: 'ibo, alius fieri nunc volo' et 'ego ibo, ornabor.' Quae verba quamquam non ipse Plautus scripsit, tamen cum per se veri simile sit illum morem per pauciores histriones plures partes gerendi, si romanus fuit, etiam Plauti temporibus valuisse, illis locis res esse demonstrata videri potest. Attamen aliud est actorem simul et prologum et fabulae partes aliquas suscipere, aliud binas partes eum in eadem fabula agere. Neque enim in hac re difficultas sita est, quod plus versuum actori recitandum sit, sed in eo quod facile spectatores in altera persona eundem actorem agnoscere poterant, quo fieri non potuit quin veri similitudo omnis actionis tolleretur. Eodem vero iure, quo Poenuli prologum Schmidtius commemoravit, prologum Hautontimorumeni, Hecyrae alterum, Adelphon adferre poterat.

Iam vero quaeritur, num argumenta e rerum natura reique scaenicae Romanorum condicione peti possint, e quibus colligamus etiam in hoc genere Romanos pependisse e Graecis. Cum vero satis constet Romanos ipsas comoedias a Graecis accepisse, per se admodum probabile est cum fabulis etiam illum de numero actorum morem traductum esse. Quamquam enim non prorsus eadem erat apud Romanos rei scaenicae condicio atque apud Graecos — usque ad Terentium enim, ut exemplo utar, personis sive larvis scaenicis Romani non utebantur —, tamen in universum saltem similis apud eos valuit. Quo accedit quod tum, cum fabula graeca ad Romanos traducta est, minime veri simile est tot actores eosque bene institutos poetis, vel potius eis qui ludos scaenicos faciebant, in promptu fuisse, quot in una quaque fabula personae agendae erant; quodsi igitur fiebat, ut numero actorum certus quidam modus imponeretur, credi

vix potest postea hunc morem evanuisse. Neque illud prorsus reiciendum est, quo Schmidtius p. 8 tamquam gravissimo argumento nititur: si Graeci posteriores aut Romani morem illum antiquum neglexissent, scriptores veteres hanc insignem in novanda consuetudine licentiam silentio non praeterituros fuisse. Hoc inquam argumentum non prorsus reiciendum esse, quamquam Schmidtius hoc loco ut alibi in eo peccavit, quod pro certo sumpsit quod demonstrandum erat. Etenim si Romani illum morem a principio non erant secuti, consuetudinem novare manifesto non poterant. Attamen aliquid sane ex illo omnium scriptorum silentio efficitur. Euanthius enim et Diomedes, ubi de comoedia disserunt, semper fere de graeca et latina promiscue verba faciunt; quodsi tam insigne inter eas discrimen intercessisset, nonne id eis commemorandum erat? Fatendum est perdubia semper huiusmodi e silentio scriptorum petita argumenta esse. Verum cum probabilitatem rei iam supra demonstraverim, recte mihi profiteri videor illo scriptorum imprimisque Euanthii et Diomedis silentio hanc probabilitatem augeri.

His peractis eo pervenimus ut, quamquam nullum in promptu sit veterum scriptorum testimonium de numero actorum ad certum aliquem modum apud Romanos definito, tamen admodum probabile esse dicamus hunc morem graecum Romam traductum esse.

Caput II.

In editione Trinummi altera Fr. Ritschelius cum praefationis p. LV sq. de codice Vetere disputaret, etiam ad litteras graecas illas, quibus personae in scaenarum titulis notantur ipsique scaenarum sermones personis distribuuntur, animum advertit. Cum autem Megaronidis et Philtonis notam Δ esse, Calliclis B, Lesbonici Є, Lysitelis Z, Charmidis Θ, Stasimi K, Sycophantae X vidisset, non mirandum esse professus est quod Megaronides et Philto eadem littera notarentur: has enim personas ab uno eodemque actore suscipi posse; unde haud profecto immerito litteras illas omnino ad actarum agendarumque fabularum consilium atque apparatum spectare sibi persuasit, addiditque iam ante XXXIII annos idem se sensisse de graecis

in Terentii libro Bembino litteris. Etenim in hoc quoque codice in scaenarum titulis sua cuique personae nota adposita est eadem, qua in ipsis sermonibus, quae verba faciat, indicatur. Iam mihi quidem, cum anno demum MDCCCLXX Terentii editio Umpfenbachiana in publicum prodiisset cum apparatu critico ad fidem Bembini codicis diligenter expresso, accuratius de litterarum notis illis inquirere licuit: quo facto eo perveni, ut rectissime se habere Ritschelii coniecturam atque in hac re fundamentum nostrae quaestionis inesse pro certo dicam.

Ac primum quidem hoc mihi demonstrandum est: suam unius cuiusque personae notam per totam fabulam antiquitus pertinuisse. Cuius rei aperta sunt vestigia. Neque enim tantum saepius eadem persona eadem littera signatur, sed etiam fit non numquam, ut multis scaenis interpositis ne sic quidem aliter personae notentur. Atque hoc quidem summi esse momenti per se intellegitur. An casu factum esse credideris, ut in Phormione Demipho constanter per Z in his scaenis denotaretur[4]: v. 231 | 348 | 567. 591. 606 | 713 | 766. 784. 795 | 894. 990? Undecies igitur per Z signatur, et ita quidem ut quinquies scaenae non continuentur. Ex hoc vero notationis genere cui non videatur consilium illud eadem eandem personam littera per totam fabulam notandi tamquam in oculos incurrere? Neque in uno Demiphone illud factum est, quamquam haec persona manifestissimo exemplo est. Sunt enim praeter illum XXIV personae in Terentianis fabulis, quae, sive scaenae continuantur sive non continuantur, semper eisdem litteris signentur. Cuius rei hanc tabulam quasi imaginem propono:

Personae	Notae	Versus quibus exhibentur personae	Scaenae non continuantur
1. Parmeno	11 B	Eun. 46. 81. 207. 232. 292. 391. 454 | 926. 971. 1002. 1031	semel
2. Chaerea	4 A	Eun. 292 | 549 | 840 | 1031	ter
3. Antipho	2 B	Eun. 539. 549	—
4. Dorias	4 Θ	Eun. 615. 629. 643. 668	—
5. Chremes	14 A	Hautont. 53. 175 | 410. 512. 562. 614 | 749 | 830. 842. 874. 955. 1003. 1024. 1045	ter

[4]) Lineola recta | et hic et infra significabo scaenas non continuari.

Personae	Notae	Versus quibus exhibentur personae	Scaenae non continuantur
6. Menedemus	6 B	Hautont. 53 | 410 | 842. 874. 955 | 1045	ter
7. Clinia[5])	5 Γ	Hautont. 230. 242. 381 | 679. 723	semel
8. Davos	2 B	Phorm. 35. 51	—
9. Demipho	11 Z	Phorm. 231 | 348 | 567. 591. 606 | 713 | 766. 784. 795 | 894. 990	quinquies
10. Chremes	8 Є	Phorm. 567. 591. 606 | 714. 728 | 784 | 894. 990	ter
11. Nausistrata	3 B	Phorm. 784. 795 | 990	semel
12. Philotis	2 B	Hec. 58. 76	—
13. Syra	2 Γ	Hec. 58. 76	—
14. Bacchis	5 B	Hec. 727. 768. 799. 815. 841	—
15. Sannio	4 B	Adelph. 155. 209. 254. 265	—
16. Ctesipho	4 Γ	Adelph. 254. 265 | 517. 540	semel
17. Sostrata	2 Φ	Adelph. 288. 299	—
18. Canthara	2 Θ	Adelph. 288. 299	—
19. Hegio	3 Γ	Adelph. 447. 512 | 592	semel
20. Simo	4 A	Andr. 820. 842. 872. 903	—
21. Davos	4 Γ	Andr. 740. (796) | 842 | 956	bis
22. Mysis	2 Є	Andr. 740. 796	—
23. Pamphilus	3 Z	Andr. 872. 904. 956	—
24. Chremes	5 K	Andr. 740 | 820. 842. 872. 904.	semel
25. Crito	2 Y	Andr. 796 | 904	semel

His vero eiusmodi exempla addenda sunt, ubi e summa A Δ et Є Θ Φ litterarum similitudine unam olim fuisse litteram facillima coniectura assequaris. Sunt autem ea haec:

Personae	Notae	Versus quibus exhibentur personae	Scaenae non continuantur
26. Dromo	Δ A	Hautont. 242 723	semel?
27. Sostrata	Θ 3 Φ	Hautont. 614 1003. 1024. 1045	semel?
28. Sostrata	4 Φ 2 Θ	Hec. 198. 243. 274 | 336 577. 607	bis?
29. Aeschinus	3 A 3 Δ	Adelph. 155 | 610. 636 265 | 899. 924	ter?

[5]) Quamquam de Cliniae nota, num recte se habeat, valde dubito, tamen hoc loco eum adferendum esse censui.

Denique iam supra dixi in eo summam rei positam esse, si cuius personae eadem notatio inveniatur scaenis non continuatis. Hoc vero etiam de aliis personis valet: quae cum semel vel bis aliis litteris signentur, saepius vero, et quidem scaenis non continuatis, eandem notam habeant, manifestum est librariorum errore rariorem notationem illam invectam esse, genuinae vero speciem hanc prae se ferre. Atque hic quoque illud observandum est, ut similes litteras pro una accipiamus. Huiusmodi vero exempla haec sunt:

Personae	Notae	Versus quibus exhibentur personae	Scaenae non continuantur
30. Phaedria	6 A	Eun. 46.81.207 | 629. 643.668	semel
	Є	1031	—
31. Thais	5 Є	Eun. 81 | 454 | 771. 817. 840	bis
	Z	739	—
32. Pythias	Z	Eun. 454	—
	7 Є	507 | 643. 668. 727. 739	ter
		923. 1002	
	3 Θ	817. 840. 910	
33. Chremes	B	Eun. 507	—
	4 Γ	727. 739. 771 | 910	semel
34. Clitipho	4 B	Hautont. 175. 213. 230. 242	—
	6 Γ	562 | 805. 830 | 955 |	ter
		1024. 1045	
35. Parmeno	4 A	Hec. 76 | 415 | 799 | 841	ter
	B	281	—
	Γ	336	—
36. Phidippus	4 A	Hec. 243 | 451 | 623 | 768	ter
	B	516	—
37. Demea	9 B	Adelph. 81 | 355. 447 | 540	ter
		713. 719. 763. 776. 787	
	5 A	855. 882. 889. 899. 924	—

Cum vero quinquaginta personae sint, quae in codice Bembino saepius quam semel in titulis exhibeantur, restant XIII exempla, quorum notationem admodum fluctuare concedendum est. Sunt enim haec[6]):

[6]) Fieri non potuit quin hoc loco, ubi, quibus quidque exemplis probetur, disputatur, ex ea quae infra sequetur inquisitione aliquid praeriperem. Per se enim etiam Eunuchi Gnathonem in ea quae antecedit tabula apponere poteram, ita ut uno exemplo probabilitas augeretur. At incertum esse hoc exemplum ex eo apparet, quod etiam Chaerea et Phaedria per A notantur, Thrasonis vero Δ fuisse videtur. Quare nihil

Personae	Notae	Versus quibus exhibentur personae	Scaenae non continuantur
1. Gnatho	4 A	Eun. 232 | 391. 454 | 771	bis
	2 Γ	1025. 1031	—
2. Thraso	2 Γ	Eun. 391. 454	—
	3 Δ	771 | 1025. 1031	semel
3. Syrus	2 A Δ	Hautont. 242. 381 | 955	semel
	9 B	512. 562. 614. 668. 679. 723. 749. 805. 830	—
4. Bacchis	Ε	Hautont. 381	—
	Δ	723	—
5. Phormio	2 A	Phorm. 315. 348	—
	5 Υ	829. 841. 885. 894. 990	—
6. Geta	Γ	Phorm. 51	—
	8 A	178. 231 | 591. 606. 682. 714. 766. 841	semel
	3 B	465. 484. 534	—
	2 Ε	315. 348	—
7. Antipho	4 A	Phorm. 153 | 465. 485. 534	semel
	Γ	179	—
	5 B	606. 682. 820. 829. 841	—
8. Phaedria	3 B	Phorm. 153. 179. 231	—
	2 Γ	485. 534	—
9. Laches	3 B	Hec. 198. 243 | 451	semel
	4 Γ	607. 623. 727. 768	—
10. Pamphilus	A	Hec. 281	—
	5 B	336. 361 | 577. 607. 623	semel
	3 Γ	415. 451 | 841	semel
11. Micio	4 A	Adelph. 26. 81 | 719 | 787	bis
	3 B	592 | 636 | 924	bis
12. Syrus	7 A	Adelph. 209. 254. 265 | 355 | 517. 540 | 776	ter
	2 Γ	763 | 924	semel
	2 B	882. 889	—
13. Geta	B	Adelph. 299	—
	Δ	477	—
	2 Γ	889. 899	—

Quorum exemplorum quamquam admodum fluctuat notatio, tamen cum his XIII opposita sint illa XXXVII atque inter ea manifestissima nostrae opinionis vestigia, ut Parmenonis (p. 117, 1), Chaereae (ib. 2), Chremetis (ib. 5), Menedemi (p. 118, 6), Demiphonis

reliquum est, nisi ut aliam notam atque A aut Δ Gnathonis fuisse dicamus. Quo fit, ut inter incerta exempla hanc personam poni oporteat.

(ib. 9), Chremetis (ib. 10), Aeschini (ib. 29), Pythiadis (p. 119, 32), nullo modo posse dubitari censeo quin antiquitus sua uni cuique personae nota fuerit.

Atqui hanc rationem ideo aliquantum incommodi habere concedo, quod in Bembino codice, si universam eius indolem consideras, fere constanter ipsa verba personis recte distributa sunt. Itaque sane mirum esse non immerito quispiam mihi opposuerit, tot tantasque turbas in illam notationem irrupisse. Etiamsi enim concedi possit in titulis alias cum aliis litteras facile permutari potuisse, tamen in sermonibus parum vestigiorum exstare prioris et genuinae litterae servatae. Et quamquam esse huiusmodi vestigia non pro certo affirmaverim, tamen cogitari de eis in quibusdam locis potest. In Eunucho enim v. 804 verba 'haec sicine agis' Gnathoni continuantur in Bembino, vetus vero corrector praeposuit Γ (Chremetis) notam, notae autem Γ ante verba 'quis tu' superscripsit Δ (Thrasonis). Sic igitur scriptum est in codice:

A Ain vero canis?

Γ (*corr.*) Sicine agis? Δ Quis tu homo es?

Sed manifestum est etiam correctorem errasse, cum sic potius haec exhibenda essent:

A Ain vero canis?

Sicine agis? Δ Quis tu homo es?

id quod correctorem, si suo iudicio correxit, fugere vix poterat: quare forsitan e codice antiquiore notationem suam hauserit. Cum vero et Thrasonis (p. 120, 2) et Gnathonis (ib. 1) quae nota fuerit, incertum sit, Γ illud cogitari potest e genuina notatione (Υ, Ζ?) relictum esse. In eadem fabula v. 908 corrector antiquus notam Θ (Pythiadis, cui recte haec verba tribuuntur) ante 'id ipsum? virgo vero!' in Ε (Thaidis) mutavit, Thaidis autem notam Ε, quae recte posita erat, expunxit ante 'i prae. sequor.' Etiam haec correctio, cum homini quamvis imperito vix potuerit in mentem venire, videri potest ex antiquiore exemplari originem ducere. Atque cum dubitari possit, utrum Thaidis (p. 119, 31) an Pythiadis (ib. 32) Ε genuina sit littera, non inepte statueris etiam hunc locum e priore notatione fluxisse. Porro Adelphon v. 548 'Γ Rideo hunc' . . . Bembinus exhibet, quo loco apertum est A scribendum fuisse. Nec non de Syri nota satis constat (p. 120, 12). Postremo, quam facile turbae illae in libros inrepere potuerint,

luculenter apparet e Phormionis v. 534, ubi Phaedriae nota et in titulo et in primo versu Α est, per totam vero scaenam ille per Γ signatur. Illud Α autem vel ideo stare non potest, quod in hac scaena Antipho Α notam habet: quare corrector quidam recentior Phaedriae Α in Γ mutavit. Ceterum etiam Phaedriae et Antiphonis (p. 120, 7 et 8) notae dubiae sunt.

Vel sic tamen libenter concesserim his argumentis illam de qua agimus difficultatem non prorsus tolli, cum parum talium locorum exstet eorumque dubitatione non vacuorum. At cum in codice Victoriano (*D*) consimiles litterae graecae inveniantur, res unicuique evinci videbitur, siquidem has ex ea notatione, quae est in Bembino, fluxisse, sed multo etiam magis turbatas esse demonstraverim. Nec tamen id de omnibus fabulis valet. Per Eunuchum enim in *D* fere semper litteris initialibus personae signantur, praeterquam quod v. 81 habes ʿΘ Thais. Α Phedria. Β Parmeno', et v. 207 ʿΑ Phaedria. Β Parmeno': quae quidem cum Bembino consentiunt (ʿΕ Thais. Α Phaedria. Β Parmeno'; — ʿΑ Phaedria. Β Parmeno'). Haec igitur fabula nihil ad nostram quaestionem confert. In Phormionem autem a Calliopio vel alio quopiam διορθωτῇ mediae aetatis aliud prorsus notandi genus invectum esse apparet ex ipso conspectu personarum litterarumque quem subieci:

cod. *A*		cod. *D*	
Davos	2 Β	Davos	2 Α
Geta	8 Α 3 Β 2 Ε 1 Γ	Geta	13 Β 1 Α 1 *M*
Antipho	5 Β 4 Α 1 Γ	Antipho	9 Γ
Phaedria	3 Β 2 Γ	Phaedria	5 Δ
Demipho	11 Ζ	Demipho	11 Ε
Phormio	2 Α 5 Υ	Phormio	5 Ζ
Hegio	Γ	Hegio	Η
Cratinus	Υ	Cratinus	Μ?
Crito	Φ	Crito	Μ
Dorio	Ε	Dorio	Ν
Chremes	8 Ε	Chremes	6 Ο 1 Δ
Sophrona	Θ	Sophrona	Π
Nausistrata	3 Β	Nausistrata	2 Π 1 Ν

Vel illae enim notae ΗΜΝΟΠ, quippe quae nusquam in Bembino vel in hac vel in reliquis fabulis usurpentur, eo nos ducunt, ut mediae aetatis aliquem hominem notationem omnem novasse suspicemur. Quo accedit, quod maxime perspicuum est, quo ille consilio utens id instituerit. Ordo enim prorsus alphabeticus est

litterarum ΑΒΓΔΕΖΗΜΝΟΠ, ita ut, quae persona prior prodeat, priore in alphabeto littera notetur. Porro ne Andria quidem plus confert ad tollendam de qua dicimus difficultatem, quippe cum in *D* notae paene eaedem sint atque quas Bembinus exhibet.[7]) Aliquid vero cum Hautontimorumeno tum Adelphis proficitur. In illa enim cum XXXVI notae cum Bembinianis consentiant, IX tantum ab eis discedant — quinquies enim quod initiales usurpantur, nemo mirabitur —, quid probabilius est quam huius fabulae in *D* notationem fluxisse ex ea quae est in Bembino[8])? Atque etiam magis eam turbatam esse quam Bembinianam, e personarum cum litteris hoc conspectu[9]) pernosces:

cod. *A*		cod. *D*	
Chremes	14 Α	Chremes	10 Α 2 *C*
Menedemus	6 Β	Menedemus	2 Β 1 Δ 2 *M*
Clitipho	4 Β 6 Γ	Clitipho	4 Β 5 Γ
Clinia	5 Γ	Clinia	4 Γ 1 Α
Syrus	9 Β 2 Α 1 Δ	Syrus	5 Β 2 Δ 1 Α 1 Ε 1 *S*
Dromo	1 Δ 1 Α	Dromo	1 Δ 1 Φ
Bacchis	1 Ε 1 Δ	Bacchis	1 Ε 1 Α
Antiphila	Ζ	Antiphila	Φ
Sostrata	1 Θ 3 Φ	Sostrata	3 Ε
Canthara	Γ	Canthara	Γ
Phrygia	Ε	Phrygia	Β

[7]) Uno loco v. 872 Victorianus 'Μ Pamphilus', Bembinus 'Ζ Pamphilus' habet. Neque enim in eo offendes, quod Chremes in Victoriano per *H*, in Bembino per Κ notatur, quoniam illa nostra *H* (h) littera, quam ipse Victorianus alibi exhibet, in Bembino pro more illorum temporum hac figura est: *K*.

[8]) Consentiunt notae hae:

Chremes 175 ΑΑ. 410 ΑΑ. 512 ΑΑ. 562 ΑΑ. 614 ΑΑ. 749 ΑΑ. 830 (805) ΑΑ. 842 ΑΑ. 874 ΑΑ. 1003 ΑΑ. — Menedemus 410 ΒΒ. 842 ΒΒ. — Clitipho 175 ΒΒ. 213 ΒΒ. 242 ΒΒ. 562 ΓΓ. 805 ΓΓ. 905 (874) ΓΓ. 1024 (1003) ΓΓ. 1045 ΓΓ. — Clinia 230 ΓΓ. 242 ΓΓ. 679 ΓΓ. 723 ΓΓ. — Syrus 242 ΑΑ. 562 ΒΒ. 624 ΒΒ. 749 ΒΒ. 805 ΒΒ. — Dromo 242 ΔΔ. — Bacchis 381 ΕΕ. 723 ΔΑ. — Sostrata 614 ΘΕ. 1003 ΦΕ. 1045 ΦΕ. — Canthara 614 ΓΓ.

Discedunt inter se hae litterae:

Menedemus 874 ΒΔ. — Clinia 381 ΓΑ. — Syrus 512 ΒΕ. 679 ΒΔ. 723 ΒΔ. 955 ΔΒ. — Dromo 723 ΑΦ. — Antiphila 381 ΖΦ. — Phrygia 723 ΕΒ. — (Hac in adnotatione prior littera est Bembini, altera Victoriani).

Initialibus librarius his usus est:

Chremes 53 (*C*). — Menedemus 53 (*M*). 1045 (*M*). — Syrus 381 (*S*).

[9]) Cum interdum codex *D* duas Bembini scaenas in unam contrahat, fit, ut non semper numerus notarum Bembinianarum cum Victoriano conveniat,

Idem de Adelphis statuendum videtur. Cum enim XXXIII Victoriani notae eaedem fere sint atque Bembini, XX ab eo dissentiant[10]), in hac quoque fabula notationem personarum e Bembiniana originem ducere non improbabile est, praesertim si reputaveris, quae de Andria et Hautontimorumeno demonstravimus. Quanto vero magis Victoriani notatio fluctuet quam Bembini, facile perspicies ex hac tabula:

cod. *A*		cod. *D*	
Micio	4 A 3 B	Micio	6 A 1 *M*
Demea	9 B 5 A	Demea	10 B 2 A 1 Γ
Sannio	4 B	Sannio	2 B 1 Γ
Aeschinus	3 A 3 Δ	Aeschinus	3 Δ 2 A 1 Γ
Parmeno	Γ	Parmeno	*P*
Syrus	7 A 2 B 2 Γ	Syrus	3 Ε 3 A 2 B 2 Γ 1 *S*
Ctesipho	4 Γ	Ctesipho	2 A 2 Z
Sostrata	2 Φ	Sostrata	2 Ε
Canthara	2 Θ	Canthara	1 Z 1 Φ
Geta	2 Γ 1 B 1 Δ	Geta	2 A 1 Γ 1 Δ
Hegio	3 Γ	Hegio	1 Ε 2 Γ 1 *H*
Dromo	Δ	Dromo	Z

Denique de Hecyra quid sit statuendum, in medio relinquo: in qua quidem de XL notis IX tantum congruunt cum Bembino[11]). Quam ob rem non improbabiliter etiam hanc fabulam, ut Phormionem, manum correctoris expertam esse suspiceris. At enim sufficiunt ea quae de Adelphis et Hautontimorumeno diximus. His enim reapse atque evidenter demonstratur huiusmodi litteras

---

[10]) Consentiunt notae in his:

Micio 26 AA. 81 AA. 719 AA. 787 AA. — Demea 81 BB. 355 BB. 447 BB. 540 BB. 713 BB. 763 BB. 776 BB. 787 BB. 855 AA. 899 AA. — Aeschinus 155 AA. 265 ΔΔ. 610 AΔ. 899 ΔA. 924 ΔΔ. — Sannio 155 BB. 265 BB. — Syrus 355 AA. 540 AA. 763 ΓΓ. 889 BB. — Ctesipho 265 ΓZ? 540 ΓZ? — Sostrata 288 ΦϵΦ. 299 ΦϵΦ. — Canthara 299 ΘΦ. — Geta 447 ΔA. 899 ΓΓ. — Hegio 512 ΓΓ.

Dissentiunt his locis:

Micio 592 BA. 924 BA. — Demea 882 AB. 889 AΓ. 924 AB. — Sannio 209 BΓ. — Aeschinus 636 AΓ. — Syrus 209 AϵΦ. 254 AϵΦ. 265 AϵΦ. 517 AB. 776 AΓ. 882 BA. — Ctesipho 254 ΓA. 517 ΓA. — Canthara 288 ΘZ. — Geta 299 BA. 889 ΓΔ. — Hegio 447 ΓϵΦ. — Dromo 776 ΔZ.

Initialium usus est in tribus titulis:

Micio 636 (*M*). — Syrus 924 (*S*). — Hegio 592 *H*.

[11]) Sunt eae hae: Parmeno 76 AA. 281 BB. 799 AA. — Laches 451 BB. — Sostrata 198 ΦϵΦ. 243 ΦϵΦ. 336 ΦϵΦ. 577 ΘϵΦ. 607 ΘϵΦ. — Phidippus 516 BB. — Pamphilus 281 AA.

turbari potuisse et magnopere quidem turbatas esse: unde ea, de qua disputamus, difficultas prorsus tollitur. Cum enim illae turbae ne in Victoriano quidem prohibuerint, quominus in universum recte verba personis distribuerentur, quidni idem fieri potuit in Bembino?

Iam quaeritur de illarum turbarum origine: quarum partem non exiguam e similitudine litterarum ortam esse facile est intellectu. Cum enim in eodem titulo saepius A et Δ aut ΦΘΕ exhiberentur, facile fieri potuit ut errore librarii aut in titulo binae personae eadem littera notarentur aut in sermonibus confunderentur. Sic Adelph. v. 275 littera A (Syri) ante verba 'rem paene e patria' in Bembino exstitit scripta, nunc deleta est: quae quis dubitet quin ad Aeschinum (Δ) notandum invaserit, cuius sunt illa verba? Eiusdem fabulae versum 288 totum Bembinus Cantharae (Θ) dat, quamquam manifestum est verba 'obsecro, mea nutrix, quid nunc fiet?' Sostratae (Φ) esse: quo quidem loco ipso similitudo Θ et Φ litterarum turbas creavit. Ad talia igitur incommoda evitanda quid librariis magis erat in promptu, quam aliam litteram pro genuina invehere? Tum vero in titulis quid facilius accidere poterat, quam ut altera alteri personae nota adponeretur, ibi potissimum ubi similia aliquatenus nomina exhibebantur? Denique in ipsis omnino litterarum formis, quippe quae per tot saecula usque ad codicem Bembinum aliae paulatim evaserint, causa inest notarum tantopere inter se confusarum. Atque has quidem turbas magis in solis notis resedisse quam in verborum distributione, id facile eo explicatur, quod ipsius antiquitatis testis, Euanthius, de Terentio dicit (de com. et trag. p. LVI West.): 'illud quoque mirabile in eo, quod non ita miscet personas quattuor, ut obscura sit earum distinctio.' Haec omnia cum ita se habeant, non iam quidquam mihi dubii relinqui videtur, quin sua cuique personae antiquitus adposita fuerit littera.

Has autem litteras graecas iam supra dixi in codice Bembino, ut in *D*, titulorum personis adscriptas, in sermonibus ad distribuenda personis verba adhibitas esse. Qua in re vel illud mirum est, quod graecis, non initialibus nominum litteris — quae est reliquorum codicum ratio — utebantur. Horum enim ratio per se non potest non multo aptior videri, ut qua facilius, quid significetur, intellegatur. Quamquam enim in promptu est respondere, aptiorem graecarum litterarum usum codicibus esse maius-

culis latinis scriptis, tamen non immerito quaeras, cur non ad distribuendos personis sermones adhibuerint eas litteras graecas, a quibus nomina ordiuntur? Quippe graeca sunt ipsa nomina. Accedit aliud quiddam idque gravissimum. Etenim ad nullam aliam rem nisi ad sermonum distributionem illas notas adhibitas esse ideo credi non potest, quod eaedem constanter etiam in soliloquiis usurpatae sunt, quotiescumque novae scaenae initium fit, ut Eun. v. 539. 615. 629, Hautont. v. 213. 668, Phorm. v. 35. 820, Hec. v. 361, Adelph. v. 26. 512. 610. 713. 885. Atque in huiusmodi locis tales notas minime opus esse sensit olim ille quicumque primus eos in *D* codice sic constituit:

Eun. v. 629 Phaedria (Bemb. 'A Phaedria')

Hautont. v. 668 Syrus (Bemb. 'B Syrus')

Phorm. v. 35 A Davos B Geta (ubi Bemb. v. 35 'B Davos', v. 51 'Γ Geta B Davos' habet)

Phorm. v. 841 B Geta Γ Antipho Z Phormio (in Bemb. Phormio v. 885 demum exhibetur solus)

Phorm. v. 820 Γ Antipho ·|· Phormio (Bemb. 'B Antipho' habet et v. 829 novam scaenam orditur)

Adelph. v. 713 B Demea A Micio (Bemb. 'B Demea' praebet et v. 719 novam scaenam orditur).

Eadem ratio est Hecyrae v. 815, ubi soliloquium Bacchidis (B) est, quod unus Bembinus pro nova scaena exhibet. — Quid autem, quod in fabularum fine cantoris nota ω poni solet non solum in codicibus Terentianis, sed etiam in Plautinis? Quo etiam illud addendum est, quod Ritschelius nuper Musei Rhen. t. XXVI p. 599 sqq. demonstravit in codicibus Plautinis C es DV litteras eo adhibitas esse ut, quae fabulae partes cantica, quae essent diverbia, significaretur? Neque ab hac re illud alienum est, quod personarum nominibus suus cuique character adscriptus est, ut 'Simo senex', 'Pamphilus adulescens', 'Thais meretrix' cet. Quae cur constanter in uno quoque titulo exhibeantur, qui tandem aptius explicari potest quam ut ad ornatum scaenicum illa spectare dicamus? Et hoc quidem Umpfenbachius quoque quamvis dubitanter professus est praef. p. X. Mihi vero ille quo utitur locus ita comparatus esse videtur, ut nihil fere dubii relinquatur. Antiphila enim et Bacchis Hautontim. v. 381 sic insignitae sunt:

Bacchis Antiphila
Meretrices II

At Antiphila, si personarum index Hautontimorumeni exstaret,

haud dubie 'mulieris' charactere designata foret. Reliquis autem in titulis omnibus cum recti verique characteres servati sint, hunc unum locum corruptum esse non est credibile, ut quem satis ille numerus pluralis 'Meretrices II' tueatur. Nulla vero cogitari causa potest, cur Antiphila meretrix hic exhibeatur, nisi quod actor virginis nondum agnitae meretriciis vestibus indutus in scaenam prodire debebat. Atque hoc quidem eo probabilius est, quod etiam mutae personae in titulis exhibentur, ut Nutrix Hec. v. 767, Bacchis meretrix Adelph. v. 155, Dromo cocus ib. 355: quarum in titulis commemorationem, cum nihil conferat ad sermones illustrandos, ad apparatum scaenicum pertinere probabiliter ut puto suspicor. Quamquam enim non omnes personas mutas in titulis adferri consentaneum est[12]), tamen quid mirum, si librarii earum nomina ut inutilia additamenta plerumque omiserunt, illa vero exempla felici casu resederunt? — Tot igitur in codicibus et Terentii et Plauti indicia cum ad apparatum scaenicum pertineant, quid per se veri est similius quam etiam graecas litteras illas rei scaenicae inserviisse? Qua in causa illud gravissimum est, quod sic demum intellegitur, cur tandem toties binae atque adeo ternae singulis litteris personae indicentur. Iam enim apparet eas ad numerum actorum in certum quendam modum redigendum et redactum pertinere. Cuius rei probabilitas eo augetur, quod semper fere mulierum nominibus notae Ε et Θ, viris ΑΒΓΔΖΚ, personis pauca tantum recitantibus ultimae alphabeti litterae[13]) adpositae sunt.

Atque manifesta sunt talis instituti vestigia. Quid enim, quod in Adelphis Parmeno, Ctesipho, Hegio per eandem semper Γ litteram denotantur? Quas quidem personas ab uno actore suscipi potuisse in aperto est. Atque idem cadit in Hecyrae Philotidem, Sosiam, Bacchidem (Β), in Phormionis Nausistratam et Davom (Β), in eiusdem fabulae Chremetem et Dorionem (Ε), in Hautontimorumeni Chremetem et Dromonem (Α). Habes igitur — ut nunc taceam de illis personis, quas ab uno actore actas esse similitudine litterarum probatur — quinque exempla certissima:

---

[12]) Conferas Eun. v. 772, ubi Simalio Donax Syriscus adsunt, in titulo omittuntur, et Adelph. v. 380, ubi Syrus Stephanionem adloquitur, qui tamen in titulo omissus est.

[13]) Φ Sanga Eun. v. 771, — Υ Cratinus Phorm. v. 348. — Φ Crito Phorm. v. 348.

I. Parmeno Adelph. 155—174
Ctesipho 254—287
[14]) Hegio 447—516
Ctesipho 517—552
Hegio 592—609
II. Davos Phorm. 35—152
Nausistrata 784—819. 990 cet.
III. Philotis Hec. 58—197
Sosia 415—429
Bacchis 727—880
IV. Dorio Phorm. 485—533
Chremes 567 cet.
V. Chremes Hautont. 53—212
Dromo 242—249
Chremes 410—667
[14]) Dromo 723—748
Chremes 749 cet.

Quae exempla ne ullam quidem de nostro iudicio, quo litteras graecas ad numerum actorum pertinuisse diximus, dubitationem relinquunt, praesertim ubi illud reputaveris, quam illae et temporum iniuria et librariorum culpa a prisca simplicitate atque integritate remotae sint.

Caput III.

His ad liquidum ut videtur perductis ex illis litterarum turbis imaginem priscae antiquitatis restituere et secundum hanc personas inter actores distribuere operae pretium erit. Qua in re haec via ingredienda est, ut ab eis fabulis exordium capiamus, in quibus ea demonstratio maiorem quam in aliis evidentiam habet.

1. Hecyra.

Hac in fabula cum semper et Philotis et Sosia et Bacchis per B notentur neque scaenarum conexus has personas ab uno actore agi vetet[15]), re vera id factum esse certum ducimus. Neque fieri potuit tot scaenis interpositis, ut Bacchidis et Philotidis, quamvis utraque sit meretrix, a spectatoribus confunderentur altera pro altera habita: quingenti enim versus interpositi sunt. Quod quamquam non cadit in Sostratam et Myrrhinam, quarum altera quater per Φ, bis per Θ notatur, altera semel per Φ, tamen utriusque genuinam fuisse Φ litteram in aperto

---

[14]) His locis temporis intervallum aliquod propter actuum finem intercessisse suo loco demonstrabitur.

[15]) Philotis 58—197. Sosia 415—429. Bacchis 727—880.

est; unde ab uno actore eas susceptas esse consequitur[16]). Ac ne hic quidem metuendum erat, ne Sostratae actor pro Myrrhina haberetur, cum spatio demum temporis inter tertium et quartum actum interiecto Sostrata prodiret. Tum vero, si cui ne hoc quidem suffecerit, is reputato quam eximia arte actores veteres fuerint ac quantopere laudentur, ut exemplis utar, a Cicerone Roscius et Aesopus. — E reliquis personis eadem A littera plerumque et Parmeno et Phidippus designantur; quamquam enim etiam per B Parmeno notatur v. 281, per Γ autem v. 336, itemque Phidippus per B v. 516, tamen in A genuinam notationem comparere ex eo cognoscitur, quod ter et Phidippus et Parmeno, quamvis scaenis interpositis, tamen rursus A notam habent[17]). Cum vero hae personae ab uno agi non possint[18]), alterutri nota tribuenda est quae non prorsus abhorreat ab A: qua in re maxime in promptu est Δ. Hanc autem Phidippi, A Parmenonis fuisse ex eo suspicor, quod Parmeno prior in scaenam prodit. — Relinquuntur Laches, Pamphilus, Syra. Atque quae sint Pamphili et Lachetis notae, difficile est ad statuendum. Pamphilus enim — nam A missam facio, qua semel designatur v. 281 — quinquies per B, ter per Γ notatur, et ita quidem ut B et Γ idem fere

---

[16]) Sostrata 198—280. 336—360. Myrrhina 516—576. Sostrata 577—612. — Hac in distributione dubii aliquid inesse fortasse propterea quispiam dicat, quod non liqueat, utrum v. 576 an v. 515 actus finiatur. (Nam de v. 450 cogitari non potest, quo vulgo actus distinguebantur, quoniam, cum Pamphilus Lachetem et Phidippum ineuntes videat, scaena non est vacua personis). Sed v. 515 nullo modo actus apte finitur. Cum enim Phidippus, qui v. 510 domum intraverat, uxorem, ubi se ad filiam ire sensisset, foras se duxisse v. 522 dicat, poetam finxisse apparet valde exiguo temporis spatio factum esse, ut Phidippus domum iniret statimque Myrrhina in scaenam progrederetur: qua ipsa re alacrior concitatiorque fit fabulae actio. Neque mireris quod poeta Phidippum per undecim versuum (510—521) spatium intrare, partum filiae cognoscere, e domo exire finxerit. Nihil enim iniquius, quam a poeta exigere ut tantundem temporis praeterire faciat, quantum revera ad ipsum negotium gerendum opus sit. Conferas exemplum manifestissimum Hautontim. v. 502—506. Non igitur dubium est quin actus tertius finitus sit v. 576, quo loco eo id aptius fieri potuit, quod Sostrata in scaena proxima de novo rus abeundi consilio suo cum filio verba facit.

[17]) Parmeno A 76 | A 415 | A 799 | A 841
Phidippus A 243 | A 451 | A 623 | A 768

[18]) Parmeno 76—197. 281—360. 415—445. 799—814. 841—880
Phidippus 243—273. 451—565. 623—726. 768—798

valeant, cum utraque scaenis interpositis repetatur[19]). Item Laches quater per Γ, ter per B (quae nota semel repetitur scaenis non se excipientibus) insignitur[20]). Cum autem de B, quam notam Philotidis, Bacchidis, Sosiae genuinam esse in aperto est, non possit cogitari, porro autem propter scaenarum conexum statuere non liceat utriusque Γ fuisse — ab uno enim actore agi nequeunt[21]) —, nihil reliquum est nisi ut alteri Γ, alteri similem vel B vel Γ vel utrique litterae notam attribuamus. Itaque Lachetis forsitan Γ, Pamphili Z fuerit: quocum illud congruit, quod a Lachetis actore Syra quoque (Γ) suscipi poterat[22]). Habes igitur hanc notarum et personarum inter se distributionem:

I. Γ Laches	V. Φ Sostrata
Syra	Myrrhina
II. Z? Pamphilus	VI. B Philotis
III. Δ Phidippus	Sosia
IV. A Parmeno.	Bacchis

Hoc addo, Schmidtium, quae est eius ratio inter actores quam paucissimos personas distribuendi, quinque actores huius fabulae statuisse p. 42. A quibus eam agi potuisse non nego; sed cui octo actores praesto fuerunt eique probi beneque instituti — id enim de Terentio in Eunuchi personis distribuendis Schmidtius statuit —, eum modo quinque, modo sex, modo septem, modo octo ad fabulas agendas adhibuisse credere licentiae est, nisi quis alio fundamento nitatur atque ea qua Schmidtius usus est ratione: quae quidem eo redit ut, qui potuerit aliquid facere, is id revera fecisse dicatur[23]). Sed aliud commemoran-

---

[19]) Pamphilus B 336. 361 | 577. 607. 623
Γ 415. 451 | 841

[20]) Laches B 198. 243 | 451
Γ 607. 623. 727. 768

[21]) Phidippus 243—273. 451—565. 623—726. 768—798
Pamphilus 281—335. 350—510. 577—706. 841—880

[22]) Syra 58—197. Laches 198—273 cet. Atque v. 197 quidem cum protasis ad finem perducta sit protaticaeque personae abierint, manifestum est primum actum concludi. Praeterea etiam Pamphilus Syrae partes suscipere poterat: quod si magis placet, nihil impedit quominus Lacheti Z, Pamphilo Γ tribuamus.

[23]) Eadem ratiocinatione inductus A. Muellerus quidam in libello qui inscribitur 'Scenische Fragen zur Alcestis' (ed. Hanoverae 1860) demonstrare studuit Euripidis Alcestidem a duobus histrionibus actam esse, quippe quae posset a duobus agi. Quod item prorsus reiciendum est.

dum est. Si enim indices personarum quamquam in codicibus non scriptos contemplamur, ita illos non inepte comparatos videmus, ut quae persona prima progrederetur, ea primo loco commemoraretur, quae secunda, secundo et sic porro. Huius igitur fabulae hic est index: Philotis, Syra, Parmeno, Laches, Sostrata, Phidippus, Pamphilus, Sosia, Myrrhina, Bacchis. His personis si notas, quas supra repperimus, substitueris, has habes:

Β, Γ, Α, (Γ), Φ, Δ, Ζ, (Β), (Φ), (Β).

Iam vides quam prope haec absint a solito in contextu alphabetico ordine. Nam quod Φ littera inter Β, Γ, Α et Δ interposita est, facile eo explicatur, quod mulieribus Ε Θ Φ notae tribui solent. Sed eiusmodi ordo litterarum, quamvis non semper adhibitus ad notas, tamen ita in rerum natura positus est, ut libenter eo usus esse videatur, quisquis primus graecas litteras ad distinguendas in sermonibus personas adscivit. Sicubi igitur potest, ut in hac fabula, is ordo restitui, non mediocriter firmari nostram de litterarum graecarum vi sententiam in aperto est[24]).

---

[24]) [Nuperrime Teuffelius in Fleckeiseni Annal. philol. a. 1872 p. 103 hac sola ratione Trinummi fabulae litteras graecas explicare studuit. Notas enim ΑΒΔΕΖΘ — nam Α Megaronidis esse e similitudine Α et Δ litterarum suspicatur — eo personis adpositas esse dicit, ut litteris tamquam numeris significaretur, quae prima in scaenam prodiret, quae secunda cet. Stasimum autem servum, utpote qui inferioris esset dignitatis, posteriore in alphabeto littera Κ signatum, denique cum sycophantae partes proxime abessent a cantione, proximam ab Ω notam Χ ei tributam esse. Atque verum quidem est, ut in Trinummo, ita in Hecyra, Adelphis, Hautontimorumeno, Andria ordinem notarum paene alphabeticum esse. Sed huiusmodi ordo neque ullo modo e Phormionis aut Eunuchi notatione erui potest neque in ceteris fabulis severe observatur. Vide infra litterarum in Hecyra (ΒΓΑ), Adelphis (ΑΒΔΓ), Andria (ΑΓΕΖ) ordinem. Itaque quicumque illas litteras posuit, consulto plerumque talem ordinem notationi suae adhibuisse videbitur, nec vero hac sola ratione notas sic disposuisse ut disposuit. Porro etiam illud aliquam veri speciem prae se fert, quod Teuffelius de Stasimi Κ dicit. Nam ipsi supra p. 127 diximus feminarum Ε Θ Φ notas proprias esse, personarum pauca recitantium ultimas alphabeti litteras; pro dignitate igitur et condicione aliis personis aliae notae tribuuntur. At vero ne hanc quidem rationem constanter in notandis personis valuisse aperte apparebit e personarum notarumque in singulis fabulis distributione. Quae cum ita sint, affirmandum est his solis rationibus illud graecis litteris notandi genus satis explicari non posse.]

2. Phormio.

Mirum est quod in ultima huius fabulae scaena Nausistrata Phaedriae iudicio omnia se permittere dicit (v. 1045), nec vero ipse Phaedria adest ad rem diiudicandam: qui si adesset, laetior sane fabulae exitus futurus erat. Quod quamquam poeta videri potest eo consilio sic disposuisse, ut ne pietatem Romanorum offenderet, si filium de patre iudicantem introduceret, tamen etiam in hoc esse causa potest, quod eodem ei actore opus erat ad partes et Nausistratae et Phaedriae agendas. Cum vero Nausistrata B nota eademque Davos semper designentur, Phaedriae vero ter B littera, bis Γ sit[25]), praeterea autem fieri potuerit, ut has tres personas unus actor ageret[26]), in ipsis litteris ipsius rei vestigium inesse quis negaverit? Porro Chremes et Dorio, qui semper Є littera notantur, item uni actori tribuendi sunt[27]). Restant octo personae, inter quas cum Demiphoni permulta recitanda fuerint, neque Z litterae, qua is semper notatur, similis sit ulla reliquarum personarum nota, uni has partes agendas tribuimus. Neque fieri poterat, siquidem recte Dorionem Chremeti, Nausistratae Davom addiximus, ut Demiphonis actor ullam aliam personam agendam susciperet, cum exceptis Dorione et Davo omnes eum in scaena convenirent. Phormionis autem, cuius bis A, quinquies Y est[28]), rarissimam Y notam fuisse intellegitur, quam inauditam paene in codice Bembino notam vix credideris a librario aut consilio aut casu invectam esse. Porro Getae, cuius octies A, ter B, semel Γ, bis Є est, genuinae notationis vestigium A esse non solum ex eo collegeris, quod saepius per A notatur, sed etiam quod A sibi constitit vel interpositis scaenis[29]).

---

[25]) Phaedria B 153. 179. 231 | Γ 485. 534

[26]) Davos 35—152. Phaedria 153—314. 348—461. Nausistrata 784—819. 990—1055. — Versu 152 actum finiri apertum est. Geta enim epistulam ab ero adlatam se petiturum dicit. Quam apud portum eum petiisse apparet e v. 198: quare longius intervallum quodammodo desideratur quam XXV versuum spatium. Sed gravissimum hoc est, quod protasi finita persona protatica (Davos) abit.

[27]) Dorio 485—533. Chremes 567—681 cet.

[28]) Phormio A 315. 348 | Y 829. 841. 885. 894. 990

[29]) Geta Γ 51. — A 179. 231 | 591. 606. 682. 714. 766. 841. — Є 315. 348. — B 465. 486. 534

Verum Antiphonis quoque genuina nota esse A videtur, quippe qui quinquies per B, semel per Γ, quater per A significetur, et ita quidem ut sola A nota scaenis non continuatis repetatur[30]. Sed cum utriusque non possit esse A[31], Getae, qui prior in scaenam prodit, A, Antiphoni Δ littera tribuenda erlt. Denique Sophronae nota Θ cum reliquarum personarum litteris non consentit praeter Chremetis Ε, quocum tamen in scaena versatur v. 728, et Critonis Φ. Cum hoc igitur iungenda videtur[32]. Restant Hegio et Cratinus (Γ et Υ 348—464). Cum vero Cratinus a Phormionis (Υ) actore, qui ipse quoque in scaena est v. 348, agi non potuerit, aliam eius fuisse litteram apparet eamque similem Υ notae: quae forsitan Ψ fuerit. Conexus autem scaenarum unum Chremetis Dorionisque actorem alterutras partes suscipere potuisse demonstrat[33]; de Phormionis enim, de Demiphonis, de Getae actore, de eo qui Davom, Nausistratam, Phaedriam, denique de eo qui Sophronam Critonemque egit, cogitari non potest. Chremetis vero littera Ε cum nullo modo congruat cum Ψ aut Γ, nihil aliud dici potest nisi ab inferioris generis actoribus has personas actas esse, ita ut apud Romanos quoque habeamus parachoregematis morem graecum, quamquam nomen ipsum certe non fuit latinum, cum nullus esset choregus. Attamen hoc mirari licet quod, cum (inde a v. 447) Hegioni quinque, Cratino quattuor, Critoni duo tantum versiculi recitandi sint, nos quidem Critonem a vero, reliquos ab inferioribus actoribus actos esse statuimus. Quamquam autem de permutatis inter se Ψ, Φ, Γ cogitari potest, tamen cum vel sic non possimus quin ab actore inferiore quattuor versus recitatos esse existimemus, in eis acquiescamus oportet, quae litteris tradita esse videantur. Ac nisi paene ridiculum sit in minutias studiosius inquirere deque nimis exilibus coniecturas temptare, facile cogites de actoribus qui nondum saepius in scaenam prodierint ideoque parvulas tantum partes quasdam susceperint. Sed ut talia omittam, personarum distributionem e litteris graecis hanc effecimus:

---

[30]) Antipho A 153 | 465. 485. 534. — Γ 179. — B 606. 682. 820. 829. 841

[31]) Geta 51—152. 179—314 cet. Antipho 153—218 cet.

[32]) Crito 348—464
Sophrona 728—765

[33]) Hegio et Cratinus 348—464. Dorio 485—533. Chremes 567 cet.

I.	Υ Phormio	V.	Δ Antipho
II.	A Geta	VI.	Ε Dorio
III.	Z Demipho		Chremes
IV.	B Davos	VII.	Θ Sophrona
	Phaedria		Crito
	Nausistrata		

Secundariae partes fuerunt Hegionis (Γ) et Cratini (Ψ?)

A septem igitur actoribus hanc fabulam actam esse e litterarum notis eruimus, quamquam vel sex ad eam agendam sufficere potuisse recte Schmidtius vidit p. 43.

3. Eunuchus.

Cum Parmeno undecies per B, Antipho autem in duabus in quibus progreditur scaenis eadem littera notatus sit, uni tribuendae sunt utraeque partes, quae commode agi ab uno actore poterant[34]). Nec minus Demeae et Chremetis personae ab uno actae videntur: hic enim quater Γ, semel B, ille semel Γ nota significatur, ut genuinam utriusque fuisse Γ facile sit intellectu[35]). Sequitur ut, quae Thaidis, quae Doriadis, quae Pythiadis nota sit, inquiratur. Pythiadis, quae septies per Ε, ter per Θ, semel per Z signatur, eo magis probabile est Ε veram esse notam, quod ea etiam interrupto scaenarum conexu repetitur[36]). Quo illud accedit, quod de versu 908 diximus p. 121. Sin autem recte Ε notam Pythiadi tribuimus, fieri non potest quin eandem a Thaide abiudicemus, quamquam illa quinquies per Ε, semel per Z significatur. Simillimam vero Θ notam ei addicendam esse eo potissimum firmatur, quod sic demum eam cum Doriade, cuius semper est Θ, iungere licet. Itaque utramque per Θ notatam et ab uno actore gestam esse valde est veri simile[37]). Videmus

---

[34]) Parmeno 46—196. 207—506. Antipho 539—614. Parmeno 923—1042

[35]) Chremes B 507. — Γ 727. 739. 771 | 910
Chremes 507—538. 727—816. 910—917. Demea 971—1001

[36]) Pythias Ε 507 | 643. 668. 727. 739 | 923. 1002
Θ 817. 840. 910. — Z 454

[37]) Thais Ε 81 | 454 | 771. 817. 840. — Z 739
Thais 81—206. 454—506. Dorias 615—726. Thais 739—909. — Quodsi quis miretur spatium XIII versuum suffecisse, ut alterius personae actor positis vestimentis ornatuque altera fieret, recordetur personarum sive larvarum in fabulis Terentianis usum, de quo infra peculiari excursu agetur.

igitur hac quoque in fabula duarum mulierum partes uni actori tributas esse, ut in Hecyra Sostratae et Myrrhinae, nec minus Philotidis Bacchidisque personas: quo nihil ad rerum naturam magis accomodatum est. Difficilius enim erat virum actorem in scaena feminae vocem atque habitum imitari: quam artem cum quis assecutus erat, nihil commodius esse poterat eis qui fabulas docuerunt, quam talem actorem, quotiescumque fieri poterat, ad eiusmodi partes agendas adhibere. — Porro cum Sangae persona, cuius est Φ nota, agi non potuerit a Doriadis Thaidisque (Thais enim una cum eo in scaena est v. 771) neque a Pythiadis actore (abit Pythias v. 770, progreditur proximo versu Sanga), cumque illi tres tantum versiculi recitandi sint (778. 779. 816), et e rerum natura et e littera Φ, quae cum nullius reliquarum personarum nota congruat, a secundario actore illam actam esse apparet. Restant Chaerea, Phaedria, Gnatho, Thraso, Dorus, Sophrona. Chaerea vero cum semper A littera notetur, et ita quidem ut interpositis scaenis ter ea sibi constet, dubitatione vacuum est A genuinam eius esse notam. Phaedriae autem eadem nota, interrupto semel scaenarum conexu, constans est, nisi quod v. 1031 eius nomini Є adscripta est[38]). Qua in re summi mihi momenti esse videtur, quod hae duae personae excepta ultima scaena ab uno actore agi poterant, in ultima autem scaena Є litteram codex praebet Pythiadis, cuius ipsius actori Phaedriae personam in hac scaena agere licuit. Quae cum tamquam ad amussim inter se congruant, admodum mihi quidem probabile est unum actorem Chaeream et Phaedriam egisse, in ultima autem scaena eum, qui Pythiadem egit, Phaedriae partes suscepisse, id quod apertissimum est ex hoc scaenarum conspectu[39]):

A Phaedria 46—196. 207—224. Chaerea 292—390. 549—614. Phaedria 629—726. Chaerea 840—909. 1031—1094.
Є Pythias 454—538. 643—770. 817—970. 1002—1024 Phaedria 1049—1094.

---

[38]) A Chaerea 292 | 549 | 840 | 1031
A Phaedria 46. 81. 207 | 629. 643. 668
Є Phaedria 1031

[39]) Quodsi quis Thaidis Doriadisque Є, Pythiadis Θ esse malit, etiam sic conexu scaenarum sententia nostra defenditur: Thais 81—206. 455—506. Dorias 615—726. Thais 739—909. Phaedria 1049—1094. Eam autem alio quoque argumento firmari infra demonstrabimus, ubi de concentu quodam harum distributionum disseremus; de difficultate vero quae inter-

Quamvis enim audaculum esse videatur sic distributas actoribus personas statuere, ut unius personae verba a duobus actoribus recitarentur, tamen cum tam manifesta tamque perspicua vestigia in litteris posita sint, etiam andacius esse equidem puto ea neglegere quam obtinere, si quidem omnino recte de litterarum graecarum vi et indole iudicavimus. Neque analogia quaedam deest. Etenim notissimum est Sophoclem in Oedipo Coloneo rem scaenicam sic instituisse, ut Thesei persona a tribus actoribus gerenda esset. — Iam quaeritur, quae Gnathonis, quae Thrasonis sit nota. Thrasonis, qui ter Δ (771 | 1025. 1031), bis Γ (391. 454) habet, Δ fuisse hanc ob causam suspicor, quia sic cum Dori Δ nota congruit. Has igitur personas unus histrio egit[40]). Restat Gnatho, qui quater A (232 | 391. 454 | 771), bis Γ littera (1025. 1031) signatur. Neque de A aut Δ aut Γ cogitari posse in aperto est, cum A Chaereae Phaedriaeque, Δ Thrasonis Dorique, Γ Demeae Chremetisque esse statuerimus. Quare in Γ solo vestigium prioris notationis inesse potest, unde consequitur vel Υ fortasse vel Z eius notam fuisse. Υ autem aliquam probabilitatis speciem prae se fert propter Υ Phormionis, qui ipse item est parasitus. Z vero quamquam congruit cum Sophrona, tamen cum nihil nisi vocabulum 'moveo' v. 913 Sophrona pronuntiet, dubium est, utrum Gnathonis actori tribuenda sit an secundario; nisi forte ex eo illam fuisse veri actoris colliges, quod temulentae nutricis, quae de loco se movere vix posset, gestus atque corporis motum imitari non fuerit inferioris histrionis. Itaque sic personae actoribus distribuendae videntur:

I. B Parmeno	V. Δ Thraso
Antipho	Dorus
II. A Chaerea	VI. Υ? Z? Gnatho
Phaedria usque ad v. 726	Sophrona?
III. Ε Pythias	VII. Γ Demea
Phaedria inde a v. 1049	Chremes
IV. Θ Thais	
Dorias	

Secundariae partes sunt Sangae (Φ) et fortasse Sophronae (Z).

Eo igitur pervenimus, ut septem actores statueremus: atque in eo sane aliquid nos ausos esse profitemur. At multo tamen pro-

cedat dicemus, ubi de partium distributione exponemus. Ceterum de actus fine v. 624 statuendo in parte huius capitis extrema disputabitur.

[40]) Thraso 391—506. Dorus 668—716. Thraso 771—816 cet.

babilius hoc esse censemus, quam quod Schmidtius (p. 40) sola ratiocinatione eruere sibi visus est: octo fuisse fabulae actores.

4. Adelphoe.

In hac fabula Ctesipho, Hegio, Parmeno semper Γ littera notati sunt, neque quidquam impedit quominus ab uno actore eos actos esse credamus[41]). Demeae porro haud dubie B nota restituenda est, quippe qui novies per B signetur scaenarum conexu ter interrupto, continuatis scaenis quinquies per A notetur. Consentit igitur cum Sannionis nota, ex quo utrumque ab eodem actore esse actum colligitur[42]). Quare cum Micionis non possit esse B, A et B litterae autem in hac persona idem valere videantur, quippe quae utraque bis redeat repetita scaenis interpositis, nihil reliquum est nisi ut ei A tribuamus[43]). Quocum illud congruit, quod Micio omnium primus in scaenam progreditur. Aeschini vero, qui ter per A, ter per Δ signatur, cum non possit A esse, Δ genuinam esse manifestum est. Δ autem cum Dromonis quo-

---

[41]) Parmeno 155—174. Ctesipho 254—287. Hegio 447—516. Ctesipho 517—552. Hegio 592—609. — Actum tertium multo aptius v. 516 quam v. 592, quo id item apte fieri posse concedendum est, finiri, ex eo apparet, quod Demea v. 510 ad fratrem requirendum abit, v. 538 autem in scaenam progreditur haec verba faciens v. 540: 'Ne ego homo sum infelix: fratrem nusqùm invenio gentium.' Quo accedit quod una tantum scaena interposita est. Si enim totidem versibus interpositis multae personae prodirent alacriorque esset actio, alia sane res esset.

[42]) Demea B 81 | 355. 447 | 540 | 713. 719. 763. 776. 787. — A 855. 882. 889. 899. 924. — Demea 81—140. Sannio 155—287. Demea 355 cet. — Versu autem 154 actum finiri mihi quidem persuasum est. Quamquam enim mirum est, quod Demea Micioni primo actu ea enarrat, quae secundo demum actu coram spectatoribus aguntur, tamen protasi in universum fabulam et actionem praeparari constat; atque etiamsi Terentium eam ita instituisse dicamus, ut veri similitudinem rerum diversis temporibus actarum neglegeret, ex eo quoque huic loco excusationis aliquid paratur, quod illum virginis raptum poeta e Diphili Synapothnescusi sumpsit. At ne neglexit quidem Terentius veri similitudinem. Sane aliquid difficultatis in eo positum est, quod Demea multo prius apud Micionem adest quam Aeschinus. Sed simplicissima res est, si paullo diutius Aeschinum, Syrum, Sannionem in itinere inter se rixatos et altercatos arbitraberis. Ceterum utut de hac re statuendum est, XIV versuum spatium ad personas mutandas satis fuisse actori diximus p. 134 adn. 37.

[43]) Micio A 26. 81 | 719 | 787. — B 592 | 636 | 924

que nota sit, iungendae sunt hae personae[44]). Reliqui sunt Syrus, Geta, Sostrata, Canthara: e quibus Cantharae persona quamquam septem fere versus pronuntiat inde a v. 288, tamen quantum nunc e litterarum turbis cognoscere licet, ab actore secundario gesta esse videtur. Quae vero Syro, quae Getae tribuenda nota sit, valde dubium est. Cum enim B Demeae, A Micionis, Γ Ctesiphonis, Δ Aeschini sit, Syrus autem per A, B, Γ, Geta per B, Δ, Γ notetur, vix ullae probabiliter inveniri litterae possunt. Syri autem, cuius A plurimum valet quippe ter scaenis interpositis repetitum, forsitan Υ fuerit, quam litteram etiam in Phormionis persona cum A permutatam vidimus. Porro Getae nihil reliquum est nisi ut Z litteram statuamus, cum ille bis per Γ, semel tantum per B et per Δ significetur[45]). Denique Sostrata, quae Φ littera notatur (v. 288. 299), propter dissimilitudinem reliquarum litterarum nulli alii personae iungi potest; qua in re mirum sane est, quod haec persona, quae in duabus tantum scaenis progrediatur, nec Micionis nec Ctesiphonis Hegionis Parmenonis neque Aeschini neque Demeae Sannionisque actori tributa sit. Sed hic quoque moneo in eis acquiescendum esse, quae e litterarum positione efficiuntur. Itaque hanc habes personarum inter actores distributionem:

I. B Demea	V. Δ Aeschinus
Sannio	Dromo
II. Υ? Syrus	VI. Z? Geta
III. A Micio	VII. Φ Sostrata
IV. Γ Ctesipho	
Parmeno	
Hegio	

Secundariae partes fuerunt Cantharae (Θ)

Iterum igitur eum actorum numerum, quo opus fuit ad hanc fabulam docendam, excessum esse vides. Recte enim sex tantum actoribus opus fuisse Schmidtius ostendit p. 38. Si vero indicem contemplamur personarum (Micio, Demea, Sannio, Aeschinus, Parmeno, Syrus, Ctesipho, Sostrata, Canthara, Geta, Hegio, Dromo),

---

44) Aeschinus A 155 | 610. 636. — Δ 265 | 899. 924
Aeschinus 155—196. 265—287. 610—712. — Dromo 776—777. — Aeschinus 899—977

45) Syrus A 209. 254. 265 | 355 | 517. 540 | 776
Γ 763 | 924. — B 882. 889
Geta Γ 889. 899. — B 299. — Δ 477

ordinem notarum pro nominibus repositarum non prorsus abhornere ab alphabetico intellegimus: A, B, (B), Δ, Γ, Υ?, (Γ), Φ, Θ, Z, (Γ), (Δ).

5. Hautontimorumenos.

Chremes cum decies quater per A notetur nexu scaenarum ter interrupto, itemque Dromoni in duobus quibus exhibetur titulis A et Δ notae adscriptae sint, uni actori ambo tribuendi sunt[46]). Idem cadit in Bacchidem et Sostratam; Bacchis enim per Ε et Δ (v. 381. 723), Sostrata quater per Φ (198. 243. 274. 336), bis per Θ (577. 607) signantur: quae litterae cum simillimae sint fierique facile potuerit ut ab uno hae personae agerentur, nihil dubii de genuina Θ nota et Sostratae et Bacchidis relinquitur[47]). Porro Menedemus eadem continuo littera B denotatur, in qua eo plus est auctoritatis, quod ter scaenis interpositis ea sibi constitit. Quo magis mirum est quod Syrus quoque novies eadem B nota signatur[48]). Sin vero reputabis B litteram non nisi continuatis scaenis exhiberi, statim intelleges, cum semel peccatum esset in notatione, facillime vitium in proximas scaenas propagari potuisse. Altera autem ex parte praeclare consentiunt Syri A v. 242 et 381 atque Δ eiusdem littera, quae tot

---

[46]) Chremes A 53. 175 | 410. 512. 562. 614 | 749 | 830. 842. 874. 955. 1003. 1024. 1045. — Dromo Δ 242. A 723

Chremes 53—212. Dromo 242—249. Chremes 410—667. Dromo 723—748. Chremes 749 cet. — Wolffius (de actibus et scenis apud Plaut. et Ter. p. 12) non versu 748, sed v. 678 actum finiri contendit hoc argumento nitens: Syrum nondum persuadere sibi posse, utrum agnita sit Antiphila necne. Quod manifesto refutatur versu 663, ubi Syrus, postquam Sostrata Philterae se tradidisse puellam dixit, statim clamat: 'ipsast', ex quo facile collegeris Syrum Philterae illius nomen, quae Antiphilam educarit, cognovisse et confestim intellegere filiam Chremetis esse Antiphilam. Quod firmatur v. 682, ubi Syrus 'cognitast' ait 'quantum audio huius verba': unde consequitur Cliniae demum verbis prorsus eum de agnita Antiphila certiorem fieri. Quod cum ita se habeat, intro Syrum iisse nullo modo credibile est, quoniam, si intro ierit, fieri non potuit quin omnem rerum statum prorsus cognosceret. Illo igitur loco, quo Wolffius vult, statui non potest actus tertii finis, sed v. 748, quo aptissime actus concluditur.

[47]) Bacchis 381—409. Sostrata 614—667. Bacchis 723—748. Sostrata 1003—1067

[48]) Menedemus B 53 | 410 | 842. 874. 955 | 1045
Syrus B 512. 562. 614. 668. 679. 723. 749. 805. 830

scaenis interpositis scripta exstat v. 955: quae notae cum inter se simillimae sint, non dubitaveris aut A aut Δ Syro tribuere. A autem cum Chremetis sit neque Syrum ei iungere liceat, manifestum est Syri antiquitus fuisse Δ: id quod eo probabilius est, quod Syrus v. 512, quo loco primum per B notatur, primum cum Chremete in scaena versatur; cum enim facillime A et Δ permutarentur, nihil correctori magis in promptu erat quam novam B litteram Syro substituere, ut facilius internosceretur, qui Chremetis, qui Syri esset sermo. Quid vero de Clinia et Clitiphone statuendum sit, difficile est diiudicatu. Clinia enim quinquies per Γ notatur interrupto semel scaenarum nexu, Clitipho aliquo spatio versuum ter interposito per eandem litteram indicatur, praeterquam quod scaenis continuatis B est eius littera[49]). Utriusque vero ne Γ fuisse statuamus, scaenarum ratio prohibet: una enim in scaena versantur v. 230—380. Quod nisi semper Clinia Γ, sed ut Clitipho aliquotiens B haberet, facillima coniectura hoc assequerere ut Menedemum et Cliniam ab uno actore susceptum fuisse diceres: quo illud aptissime explicaretur, cur Terentius patrem tanto filii desiderio ac gaudio captum non fecerit cum ipso Clinia colloquentem[50]). Cui coniecturae fortasse putaverit quispiam ansam aliquam titulum illum v. 229 praebere, in quo haec posita sunt 'Γ Clinia B Clitipho': quippe si quando scriptum erat 'B Clinia Γ Clitipho', propter summam nominum similitudinem facile illud exoriri potuisse, quod nunc in codice scriptum est: unde collegerit veram Clitiphonis Γ, Cliniae B notam esse. At si tam artificiose tamque audacter in litteris constituendis coniecturae indulgeremus, non tam probabilitatem assequi quam nugas agere videremur. Recte enim eum, qui nimium demonstret, nihil demonstrare dicunt. Itaque in Γ littera genuinae et Clitiphonis et Cliniae notationis vestigium inesse pro certo affirmamus. Qui cum ab uno actore agi non potuerint, alterutrius

---

[49]) Clinia 230. 242. 381 | 679. 723
Clitipho B 175. 213. 230. 242. — Γ 562 | 805. 830 | 955 | 1024. 1045.

[50]) Menedemus 53—167. Clinia 230—409. Menedemus 410—511. Clinia 679—748. Menedemus 842 cet. — Manifestissimum est autem actum versu 409 concludi, cum Chremes v. 410 iam luciscere dicat: ex quo poetam finxisse consequitur, noctem inter secundum et tertium actum intercedere. — Ceterum miror Schmidtium, qui tantopere in illo argumentandi genere, quod ex compositione fabularum ducitur, nisus est (v. supra p. 114), non iunxisse cum Menedemo Cliniam.

notam corruptam esse in aperto est. Cum autem Clitiphonis Γ ter sibi constet, huius esse Γ probabile est: quocum congruit, quod Cantharae quoque persona per Γ notatur; hanc igitur et Clitiphonem unus actor egit[51]). Quae vero nota Cliniae fuerit, difficile dictu est. Cum enim Antiphila per Z notetur v. 381, ne de hac quidem littera cogitari potest, quoniam Clinia in eadem scaena adest. Neque Υ proposuerim, quippe quae littera parasitos aut servos denotare ideoque ab adulescentis persona aliena esse videatur. Quare in hac persona notanda artem nesciendi profiteamur oportet. Denique quod ad Antiphilam (Z) et Phrygiam (Є) attinet, cum utrique pauca recitanda essent (Antiphilae quattuor fere versiculi 396. 397 et v. 402—407, Phrygiae duo verba v. 732), ab actoribus secundariis illae agi poterant. Sic igitur personae distribuendae sunt:

I. B Menedemus	IV. Γ Clitipho
II. Δ Syrus	Canthara
III. A Chremes	V. Θ Sostrata
Dromo	Bacchis
	VI. ? Clinia

Secundariae partes fuerunt Antiphilae (Z) et Phrygiae (Є).

Non iam miraberis rursum sex actores nos effecisse, quinque tantum ad fabulam agendam opus fuisse (cf. Schmidtium p. 41). Ceterum etiam hic ordo paene alphabeticus comparet repositis in personarum indice litteris quas repperimus. Hic enim index est: Chremes, Menedemus, Clinia, Clitipho, Syrus, Dromo, Bacchis, Antiphila, Sostrata, Canthara, Phrygia: quibus respondent notae A, B, ?, Γ, Δ, (A), Θ, Z, (Θ), Є.

---

[51]) Clitipho 175—380. 562—590. Canthara 614—617. Clitipho 805—834 cet.

[Quae restant, propediem prodibunt in F. Ritschelii Actis societatis philologae Lipsiensis. Tenendum est autem paginarum numeris huius dissertationis 3—35 respondere Actorum paginas 109—141.]

VITA SCRIPTORIS

Natus sum Ernestus Eugenius Curtius Steffen Dresdae anno MDCCCXLVII patre Adolpho, matre Henrietta e gente Grossmannia. Fidei adscriptus sum evangelicae. Quindecim annos natus gymnasium Misniense adii, quod per annos duos et dimidium frequentavi. Tum per tantundem temporis in gymnasio, quod est Dresdae ad aedem Sanctae Crucis, versatus a. MDCCCLXVIII Lipsiam me contuli atque in civium academicorum Universitatis Lipsiensis numerum receptus sum. Ibi cum per quattuor annos studiis philologicis operam navarem, scholis interfui Ritschelii, Curtii, Schoenii, Klotzii, Voigtii, Zarnckii, Brockhausii, Overbeckii, Drobischii, Ahrentis, Ecksteinii. Praeterea per ter sex menses Seminarii philologici Regii socius et Societatis philologae Ritschelianae sodalis fui ordinarius, item Curtii grammaticae. His viris omnibus imprimisque Ritschelio et Curtio debitas summis in me meritis gratias ago quam plurimas.

FEB 17 1874

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 050 369 7